

Constant. predicte omnes illos qui homicidio predicto intererant, consilio deliberato extra civitatem Constant. hunc perpetuo, hunc ad certum tempus, secundum quod unusquisque facti atrocitate et qualitate perpensatis excessit, proscripserunt, ita quod eis proscriptione sic facta durante non patebat ingressus. Postea dominus abbas prefatus in episcopum Constant. promoveri desiderabat et pro episcopatu valde laboravit, sed tandem, cum suam intentionem vidisset esse frustra, dominus episcopus hodiernus, qui tunc fuerat abbas monasterii loci Heremitarum Constant. diöc. in episcopum per multas promotiones fuit assumptus. Qui cum in episcopum promotus fuerat, pecunias quas dictus quondam dominus Johannes, ejus predecessor, dereliquit et alias dictis occisoribus, ut factum ex parte ipsius consanguineorum occultum remaneret, errogavit et alias eos multipliciter remuneravit, nec de hiis contentus proscriptionem civium Constant. prescriptam simpliciter relaxavit civibus invitis, quod tum facere poterat de consuetudine, quam habent episcopi Constant. cum primo suo adventu civitatem Constant. intrant omnes proscriptos, si volunt, introducunt et penas civiles ipsis pro suis culpis inflictas relaxant. Ex quibus patet, quod dictus dominus episcopus hodiernus necem quondam predecessoris sui nedum non vindicavit sed patenter approbavit et non consules civitatis Constant. Quia antequam idem dominus episcopus promotiones habere potuisset apud imperatorem et demum apud papam, a dominis commendatore de Honburg et Conrado de Honburg milite prescripto oportuit ipsum dominum episcopum cavere pro omnibus illis, quibus quondam dominus Diethelmus de Stainegg prepositus, quondam dominus Mangoldus, comes de Nellenburg, et dominus Henricus de Honburg, canonici ecclesie Constant., tunc vicarii episcopatus Constant. sede vacante et presertim illis qui quondam Johannem episcopum occiderunt, pecunias dare promiserunt, satisfaceret ipsosque de promissis per vicarios antedictos expediret, quibus etiam idem dominus episcopus, postquam in episcopum promotus fuerat et illis presertim, qui quondam dominum Johannem episcopum Constant. occiderunt, promissa per dictos vicarios expedivit et persolvit, prout etiam ipse dominus episcopus publica laborat infamia apud bonos et graves civitatis et dioecesis Constant. —

~~~~~

**1362. August? Der Domprobst Felix verwirft die bischöfliche Entscheidung und appelliert an den päpstlichen Hof.**

Coram vobis reverendo in Christo patre domino Henrico dei gratia episcopo Constant. protestatione semper premissa